

From Hermann von der Hardt (ed.), *Magnum oecumenicum Constantiense Concilium*,
vol. 5 (Frankfurt and Leipzig, 1696), col. 129-38

[col. 129/130]

Antonii de Mercede Alphonsi regis Arragoniae ad Constantiensem concilium legati
parentatio habita in exequiis Ferdinandi Arragoniae regis
Constantiae in concilio anno 1416 die 30 April
ex codice manuscripto Lipsiensi

[col. 129] Rex vero laetabitur in eo, Psalm. lxii.

Reverendissimi patres et orthodoxi domini.

Indesenter uberrimos in fletus prorumpere et lacrymas incessatas, certissime existimassem, in
occasu tam lugubri serenissimi principis, nisi me revocasset illa divi Augustini sententia, qua
libro de consolatione infirmorum sic ait: O mors desiderabilis, O mors malorum omnium
praesentium finis, O mors laborum nostrorum omnium initium quietis! Quis cogitare queat
tuarum beatitudinum utilitatem. Nam male mori Christianorum non est; bene autem mori, vivere
cum Christo est. Quisnam mortis narrare benefacta sufficeret, quae nos cum Christo glutinat,
quae finis est praesentis miseriae, auctrix atque initium felicitatis aeternae. Vale igitur, mors
dilectissima, confitebor quod si possem te amplecti, libenter degustarem et ultro me subjicerem.
consideraverat namque Augustinus quod tantam gratiam Deus fidei Christianae concessit, ut
mors, quam in se constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiremus ad vitam.
Sane itaque non horrendum, sed gloriosum atque beneficum morituris, se cognoscere, mortem
praevidere, intrepide expectare, et feliciter sumere. Non his quidem quorum cum vita omnia
extinguuntur, sed his quorum laus a memoria recedere non potest.

Hanc quoque sententiam Tullius sensisse [col. 130] videtur de Tuscul. ubi: Tota
philosophorum vita commendatio mortis est. Nam quid aliud agimus cum a voluptatibus
corporis et a reipublicae negotiis animum revocamus, nisi ipsum ad se ipsum advocamus?
Maximeque a corpore secernere, nihil aliud est quam mori discere. Hoc ergo, mihi crede
commentemur, nosque a corpore sejungamus, et mori consuescamus. Meditatum igitur debet
esse ab adolescentia, ut mortem negligamus et mori consuesacamus. Sine qua meditatione
tranquillo animo esse nemo potest, cum certissime moriendum sit. Sapientissimus quisque
aequo animo moritur, nec eum vixisse poenitet, qui ita vixit, ut se natum aestimet.

Et ex hac vita discedit tanquam ex hospitio et non ex domo. Commorandi enim
diversorium natura nobis dedit, et non permanendi (verba sunt eiudem Tullii, libro de senectute).

Idem etiam sensit Trismegistus Mercurius ad Aesculapium, cum dicebat: Nos piis votis
optamus, si divinae pietati placeat, ut mandata custodia absolutos superioris partis naturae
restituatur. Haec quidem est merces, pie sub Deo, diligenter in mundo viventibus.

Et dein concludit Tullius, L. II. de Tusculanis., quod sapiens mortem non timet, non quia
mori necesse est, sed quia mors nihil habet quod sit horrendum, [col. 131] mortem non timet,
quae magnum praesidium ad beatam vitam comparat.

Cum itaque hic Rex serenissimus, cujus exequiis devote insistimus, virtuosissime vixerit,
moriturum se cognoscens, mortem praestolatus meditatusque fuerit, et juxta meritum Altissimi
eam devote feliciterque suscepit: Merito verba praemissa de eo repetere possumus, Videlicet,
quod hic Rex laudabiliter moriens laetabitur in Deo.

In quibus rex iste Serenissimus commendabilis plurimum perhibetur ex vita pariter et
morte. Primo ex vita, tanquam Princeps virtuosus et sublimis, secundo ex morte, tanquam

supplex gloriosus et elatus. Primum probat solium, cui praefuit rectissime, velut Rex. Secundum notat gaudium, quod invictissimum. Ideo: Laetabitur in Deo. Nam in solio resplendit uti jubar virtutum plurium, sed in gaudio jam quiescit in spe salutis hominum.

Primo itaque ex vita commendatur iste Christianissimus Dominus tanquam Princeps virtuosus et sublimis. Ideo dicitur Rex. Quod indicat solium cui recte tanquam Rex praefuit rectissimus, in quo splenduit velut jubar, virtutum plurium. Sicut enim Rex virtuosus et sapiens fuit stabilimentum sui regni et populi, Sapient. IV. Dederat namque illi Dominus ut alteri Salomoni prudentiam et sensum, id est sapientiam et virtutem, ut posset regnum imo regna regere sibi commissa, ut scribitur 3. Reg. XXI. Nempe, sicut inquit Isidor 9 libr. III. de S. B. Reges non a regnando, sed a recte regendo vocati sunt. Ideoque recte faciendo regis nomen tenetur, sed errando amittitur.

Recte ergo illi reges sunt, qui tam semetipsos quam subjectos bene regere noverunt. Regimen quidem a sui rectore sumpsit exordium. Propterea is bene poterit alios regere, qui non modo verbo, sed facto novit sibimet imperare, et se virtuti subdere, et legibus rationis et disciplinae.

Unde Seneca in Proverbiis. inquit: Vis regnum? Do tibi magnum: Rege te ipsum. Apud enim antiquos non ditior, non fortior, non major, sed melior eligebatur. Si vis itaque omnia tibi subjicere, te prius subjice rationi. Multos reges, si illa te rexerit. Ab illa [col. 132] disces, quid et quemadmodum regere debeas. Sic nempe mirabiliter conditi fuimus, ut ratio animam et anima corpus possideant. Jus vero animae corporis possessione repellitur, si non prius anima a ratione possidetur. Unde sciendum, quod ratio est velut lux et vis principalis in anima, quae cognoscit et dirigit. Cognoscit, quid bonum et malum, et dirigit, cum judicat bonum debite peragi, et malum penitus declinari. Cum autem, quid judicaverit, appetit, liberum arbitrium nominatur. Hujus quidem duae sunt partes, superior una et inferior altera. Prima divinis et aeternis intendit, secunda de terrenis et transitoriis judicat et disponit. Rursus superior evidentias accipit per leges divinas, ut Dei praeceptis assentiat, sed inferior per humanas disciplinas, ut sibi aliisque provideat. Unde secundum se semper ad bonum monet et provocat, e contra vero malum abhorret et recusat. Haec, quae est in nostro microcosmo, totius regiminis obtinet principatum, et semper ad optima deprecatur. Quoties enim homo sine ratione perit! Quia omnia recta, justa, honesta, bona et sancta, semper sunt consona rationi. Maximum ideo munus est animi, ratione bene uti. Unde Tullius de Tusculanis in quarto: Bene adhibita ratio cernit peroptimum: Neglecta vero multis implicatur erroribus. Propterea nil rectum sine ratione fieri potest. Nam haec est tanquam summi regis Vicaria, pars Divini spiritus, in corpus humanum immersa. Quae bona tenet, prohibita respuit, mentem ream accusat ex crimine, laesam conscientiam stimulat, in offensis ac inhonestis actibus semper sua contradictione resistit. Et sicut cunctis nefariis repugnat, sic quoque justa approbat, recta desiderat, aequa praecipit, et hominem tanquam regina in omnibus regulat, et reformat. Haec est lux, quae a lege qualibet debet maxime relucere. Cum in regimine debitus ordo adhibendus in rebus, non erit utique rectum regimen sine debito ordine. Nec utique debitus ordo poterit esse sine recta ratione, cum omnia regalia jura statuta, edicta atque decreta, sive leges [col. 133] sive sanctiones, non sunt nisi tyrannides, quando videntur a rectae rationis tramite deviare.

Non igitur regibus omnibus convenit principatus, sed solum his, qui ratione et sapientia perlustrantur. Quod recte censuit 1. Politic. Aristoteles, dicens: Is in cunctis naturalibus est Princeps, qui potest mente et ratione providere. Pulchrum est namque nomen Regum et illustre, sed officia difficillima, si rite gerantur. Alioquin periculosa prorsus atque mortifica. Sola namque virtus rationis vel prudentia fuit, quae primitus homines regia nobilitate dotavit. Cum

enim omnes homines ejusdem essent generis, inter eos servos Dominosque distinxit. Et si decet principem omnium membrorum vigere et sensuum viribus, multo magis convenit eum ratione, sapientia et animi praeesse virtutibus.

Cum etiam animus locum principatus atque recti regiminis in nobis obtineat, quia dux atque imperator vitae mortalium animus est:

Quam ob rem regem illum Principatus glorificat, quem non fortuna aut lubricus vulgi favor, vel indocta multitudo, sed ratio et sapientia illustrant. Unde nihil est quod luce clariore praefulgeat, quam ratio et animi clara virtus, in Principe.

Sic decrevit Aristoteles lib. Polit. cum dixit, quod multorum sunt naturaliter Domini, qui se ipsis rationabiliter et virtuose utuntur.

Quantum autem hic illustrissimus Princeps, cujus felicem obitum devote recolimus, fuerit ratione dotatus, perlustratus sapientia et justitia, fortitudine ac cunctis virtutibus redimitus, certe ejus restantur facta illustriora, declarant ejus virtutes innumerae, proclamant gloria et fama clarissima, toto jam terrarum orbe diffusa. Nulla quippe potuit eum passio vincere: Non subitus motus, non irae impetus potuit eum retrahere a justo dictamine rationis. Nullus quidem illius actus, nullus gestus, nullus incessus, nullus nutus, nullus affectus nisi honestissimus et praeclarus. Ut ejus clarissime indicant gesta magnifica, fuit totus sapiens. Quod proh **[col. 134]** dolor nostris temporibus rarissimum apparet in Principe, fuit suavis animo, clarus et doctus ingenio, sincerus eloquio, justus, mansuetus, misericors, magnanimus et modestus, aequus, gratus, devotus, gravis, largus, pius, liberalis, prudens, industrius, sobrius, castus, affabilis et in omnibus circumspectus.

Sed ut de omnibus non omnia sileam, possum dicere, quod innocens fuit cum Abel, opere mundus cum Enoch, ipse longanimis cum Noa, totus benignus cum Elia, fidelis cum Abraham, vita castus ut Isaac, laborum tolerans cum Jacob, bona rependens pro malis ut Joseph, mansuetus ut Moses, contra adversa fiducia semper plenus ut Josua, pro reipublicae commodis aggrediens ut Simson, devotus ut Samuel, misericors ut David, studiosus Salomonis sapientiae imitator, pius ut Thobias, ut Elias Zelator fidei, verus ut Esaias, et verbo, cum Jeremia sincerus, patiens cum Job.

Grandem namque hujus regis patientiam et inaestimabilem demonstravit illius longa et intolerabilis infirmitas, in qua quanto gravioribus opprimebatur doloribus, angustiis, tanto majores Deo reddebat laudes et gratias ampliores.

Fuit equidem magnanimus ut Alexander, prudens ut Brutus, animosus ut Hector, et fortis velut alius Maccabaeus. Fuit abstinens ut Fabricius, constans ut Zenocrates, obliviosus injuriarum ut Julius. Fuit clemens ut Titus, justissimus ut Trajanus, liberalis ut secundus Tiberius, generaliter, in omnibus temperatus. Templorum Dei fundator et patronus ut Constantinus, ut Justinianus aequissimus, totus gratus ut Theodosius, victoriosus ut Heraclius, felix ut Carolus Magnus, ecclesiae defensor ut Otto, et pro pestifero ecclesiae schismate extirpando nostri invictissimi Caearis Sigismundi comes individuus et socius dilectissimus, indefessus.

Quis namque narrare sussiceret, quot sustinuerit labores, quas impensas, quot noctes insomnes, quot solennes destinaverit oratores, quot destinaverit epistolas, quanta laboraverit diligentia. Vere, non omnibus his contentus fuit, nisi etiam pro tanto bono perficiendo **[col. 135]** se totum impenderet. Unde pro tam salutifero opere lucro sibi putavit etiam mortem suscipere.

Unde merito de ejus vita possum concludere, quod vincit famam suam virtutibus. Quoniam major fuit ejus virtus et sapientia quam audistis, 2. Paralip. II. Quoniam ipse fuit Dominus virtutum et Rex, Psalm, XXIII.

Dixeram quoque, quod Serenissimus Princeps commendetur ex morte, dum subjungitur, ut supplex gloriosus et elatus. Ideo quia laetabitur in Deo, quod probat gaudium, quod meruit amplissime, in quo jam quiescit in spe salutis hominum. Laetabitur, tanquam justus in Domino, quia continue speravit in eo, ut habetur in Psalmo.

Sicut namque fuit cunctis virtutibus redimitus in vita, sic quoque illius mors felix fuit, et devotissima, quia per illam gaudium invenit atque laetitiam. Nullus quidem hic vere laetabitur, sed tantummodo ubi plenum et summum gaudium possidetur. Nam, ut inquit sacer antistes Ambrosius, de discessu sanctorum: Nulla quidem potest esse jucunditas inter has amaritudines et nostra vitae dolores, qui vel intrinsecus infirmitate proveniant, aut extrinsecus accidentium incommoditate contingunt. Anxii namque et pavidi et ad ipsa locorum vota suspensi. Quod fluctuamus in incerto, sperantes dubia pro meritis, incommoda pro secundis, caduca pro solidis, nil habentes potestatis in arbitrio, nul firmitatis in voto. Amplius adversorum dolore concutimur, quam secundorum fructu potimur. Gravis namque et fragilis conditio humani corporis est nostri crudelis oppressio, quae ut Platoni placuit in Timaeo, praegravat mentem, et omnem oblivionem inducit: Quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum. Quamobrem licet in se animalibus cunctis sit amabilis, tamen propter graves lues, quas ex corpore contraxit, fit omnibus sapientibus odiosa.

Unde Augustinus pertractans illud Jacobi: Vita nostra est labor ad modicum apparens, sit ait: Vita nostra vita coeca, vita dubia et plena aerumnis, quam humores turbant, dolores exterminant, calores [col. 136] desiccant, aerae morbidant, escae inflant, jejunia macerant, joci solvunt, tristitiae consumunt, sollicitudo praecipitat, securitas hebetat, divitiae jactant, paupertas dejicit, juvenus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, moeror deprimit. Haec omnia mors inopinata succidit.

Propterea bene praesens vita dicitur flos caducus, lacera domus, diversorium breve, carina vetus, cymba sine remige, coecitas sine Duce, iter lubricum, tecta fovea, praecipitium latens, rodens sed silens tinea, opertus lacus, abditum rete, procellosum pelagus, ventosum littus, cupiditatum vorago, caminus irarum, puteus odiorum, peccatorum incendium, putre aedificium, ruens murus, fragile fundamentum, tectum labens, lata angustia, pax instabilis, rota volubilior statio, blanda fallacia, pax infida, excusata nequitia, laudata fraus, querulum suspirium, contentiosus strepitus, obliviosa peregrinatio, odium, amor, exilium, miseriae regio, daemonum principatus, mortalis casus, vitalis mors, inutilis cura, supervacuum appetitus, apparatus vermium, longa funis, pomposa vanitas, periculosa reputatio, superba miseria, et miseranda vita. Verba sunt Petrarchae catholici, in quadam epistola.

Optime igitur quidam corpus nostrum telae, quae textur, comparavit, cujus filum filo additur, ut postremo succidatur. Sic corpori nostro nedum dies diei, sed aerumnae miseriis, miseriaeque aerumnae succedunt. His itaque cogebatur Apostolus exclamare, cum dicebat: Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? De hoc autem exilio, de hoc carcere foetido, de hoc periculoso Labyrintho, noster princeps, Rex serenissimus, abiit, grate mortem, et hanc miserabilem vitam devote finivit, et laetabundus ad eam, quam quaerimas patriam, evolavit.

Non quidem juventutis tempore, quando mors est acerba, et praematura, nec in decrepita aut amenti senecta, sed in sua virilitate virtuosa et honestissima. Et quia laudabilis vita fuit, ideo laudabilis felicem mortem suscepit. Quippe gustavit, quam quisque justus praeoptat. Cupiebat enim dissolvi et esse cum Christo. Quae illius mors fuit in conspectu [col. 137] altissimi et omnium pretiosa, quae nil aliud operata est, nisi ut spiritus libere de mundo exiret, corpus requiesceret, et anima in debitam requiem locaretur.

Unde mors ista fuit serenissimo Principi velut stipendium suarum virtutum illustrium, et

summa plenitudo mercedis. Benedicatur ideo: Rex iste laetabitur in Deo. Domine, in virtute tua laetabitur Rex, et super salutare tuum exultabit vehementer, Psalm XXVIII. Et merito laetabitur. Laetabitur nempe, reliquisse corporis onera et incommoda **[col.138]** hujus vitae, exuisse infausta pericula. Laetabitur, hujus mundi vicise pericula, delicta et crimina. Laetabitur, gaudia obtinuisse coelestia.

Bene itaque respondeo, quod rex laetabitur in Deo. Quare merito potest dicere cum rege David, Psalm IX. Laetabor et exultabo in te, et confitebor nomini tuo, altissime. Et cum Tobia c. XIII. Ego autem et anima mea laetabimur. Quod sibi nobisque concedat Jesus Christus benedictus, qui cum patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita seculae seculorum. Amen.